

NVMMVS CASTRENSIS

MAXIMILIANI II. IMP. ELECTI

Regis Poloniae: expeditionem suscepturi contra
Stephanum Battorium à parte adversâ Re-
gem designatum: cusus Anno
Christi 1576.



Oloniae Proceres cum Regis Henrici reditum frustra aliquandiu expectassent, de novo tandem creato Rege Varaviae conventus indicitur. In suffragia diversi Reges ac Principes venerunt: Maximilianus II. Rom. Imp. Ernestus ejus filius, & Ferdinandus frater Archiduces Austriae: Joannes tertius Rex Sueciae: Sigismundus ejus filius, Dux Finlandiae: Stephanus Bathorius Princeps Transylvaniae: Alphonsus Atestinus Dux Ferrariæ: Joannes Basilij, Magnus Dux

Moscorum. Cum legationes etiam Varaviam venissent Gregorij 13. Pontif. Max. & Amurathis Turcarum Imperatoris, Polonorum vota in varias sententias distrahebantur: donec tandem Jacobus Uchanus Archiepiscopus Gnesensis, instante magna parte senatus Maximilianum Imperatorem renunciat & proclamat Regem Poloniae. Pauci, rursus, alij è proceribus, duce Petro Sborovio Palatino Cracoviensi, Regem ex sanguine & genere Polonorum creandum censentes, Annam defuncti Regis Sigismundi sororem, virginem quinquagenariam fermè, Reginam eligunt: additâ conditione suscipiendi regni, ut maritum sibi sumeret Stephanum Bathorium Transylvaniae Principem non alium: Illum, hâc ipsâ conditione, ut Annam uxorem duceret, Regem Poloniae & Ducem Lithuaniae creant. Bathorio qui favebant Maximilianum Imperatorem hortantur per literas, ne paucorum senatorum & Nobilium suffragijs fretus Regni Polonici, suscipienda sibi gubernacula putet. E contra qui Maximilianum elegerant, Stephanum de spe regni potiundi deijciunt: splendidissimam interim legationem ad Maximilianum Viennam mittunt, ut articulos, à priore Rege Henrico juramento confirmatos, aliosque, de quibus inter Regni ordines, & Cæsarea Majestatis legatos convenerat, iure iurando confirmaret, & quamprimum